

injungatur, quod anguli capitis non tonderi debeant; sive quod aures tegi crinibus debeant, siquidem anguli capitis complectebantur aures, quoniam a maxilla superiori anguli barbae incipiebant. Hæc magno consentu Hebraæ gentis asseruntur. Nam quod removeri crines circa tempora non debeant legitur in *Sipra sive Torath Cobanim* edit. Venet. T. 2. in. fol. fol. 210. col. 3. ubi anguli capitis exacte describuntur. Quod autem illa tonsio esset idololatrica, si aures denudarentur, fuisse ex Hebrais ostendimus in *dissertatione Wittenbergensi de Co-ma Hebraorum licita & interdicta A. 1695.* habita, ut huic supercedere negotio facile possimus, ubi simul imaginem idololatricæ hujusmodi tonsionis oculis subjecimus. Possent etiam exempla ex historia Ægyptiaca repeti, siquidem sacerdos Ægyptius supra aures tondebatur, cuius imaginem exhibet *Michaël Angelus Causseus de la Chausse in Romano Museo edit. Rom. in fol. sectione 2. imagine 36.*

§. 2.

Adstipulantur nobis quoque *Henricus Ainsvorthus*, qui in *Commentar. Anglico in Levitic.* p. 117. edit. Londonensis in fol. hanc tonsionem fuisse idololatricam ex Herodoto, & ipso Majmonide in libro de idolatria c. 12. §. 1. probat. Paria leguntur in *Cornelia a Lapide edit. Antverpiens.* T. I. p. 712.

§. 3.

Multo minus dici potest angulos capitis sacerdatis supra frontem querendos esse. Nam duo anguli capitis ad finem aurium querebantur, sive infra aures, sicut ex